

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis septimi - Fasciculus primus): Vol. VII.

London, 1830

Seite 131

TETRADYNAMIA SILIQUOSA.

39

minùs divisis, aut ramosis, scabriuscula. *Caulis* solitarius, erectus, palmaris vel spirithamæus, simplex vel subramosus, teres, basin versùs, aut ramis, præcipuè foliosus. *Folia* obovata, dentato-serrata, patentia; *radicalia* majora, basi angustata, in petiolum elongata; *caulina* breviora, latè cordata, sessilia, amplexicaulia. *Flores* corymbosoracemosi, pauci, parvi, *pedicellis* calyce duplò brevioribus. *Calyx* pilosus, foliolis erectis, conniventibus; exterioribus basi gibbosis, saccatis. *Petalorum laminae* patentès, obovatae, integerrimæ, purpuro-violaceæ, basi, unguibusque, niveæ. *Stamina* filiformia, subæqualia, simplicissima, *antheris* brevibus, incumbentibus. *Siliquæ* laxè racemosæ, adscendentes, graciles, teretiusculæ, subpilosæ, valvulis convexis, multinerviis. *Stigma* persistens, sessile, siliquâ angustius, obtusum, emarginatum. *Semina* parva, compressa.

A. Calycis foliolum exterius.

B. Petalum.

C. Fecundationis organa. Omnia triplò aucta.

TABULA 642.

ARABIS THYRSOIDEA.

ARABIS foliis obovatis obtusè dentatis tomentosis, racemo capitato, siliquis curvato-adscendentibus confertis.

A. thyrsoidea. *Prodr.* n. 1567. v. 2. 28. *DeCand. Syst.* v. 2. 219.

In Olympi Bithyni cacumine. 2.

*Radix* filiformis, ramosa, per rimas petrarum altè descendens, perennis; supernè caespitosa, multiceps. *Herba* saturatè virens, parùm incana, brevius tomentosa, pilis ramosis ac stellatis. *Folia* obovata, obtusa, latè dentata; *radicalia* conferta, patentia, in petiolum attenuata; *caulina* pauca, alterna, erectiuscula, subsessilia. *Caules* floriferi terminales, solitarii, erecti, biunciales, simplices, foliosi, teretes, tomentosi. *Racemi* terminales, solitarii, erecti, densi, capitato-rotundi. *Flores* magni, speciosi, nivei, *pedicellis* pubescentibus, calyce paulò brevioribus. *Calyx* erectus, apice tantùm pubescens; foliolis duobus exterioribus basi valdè gibbis. *Petala* orbiculata, vix emarginata, unguibus longitudine calycis. *Stamina* filiformia, simplicia, *antheris* brevibus. *Siliquæ* confertæ, lineares, sursùm curvati, suberecti, nervosæ, torulosæ, glabræ, *stigmatate* sessili, capitato, indiviso, terminatæ. *Semina* subrotunda, simplicia, nec margine dilatata, simplici serie, in quoque loculamento, alternatim digesta.

a. Flos absque petalis.  
d. Siliqua.

b. Petalum.

e. Dissepimentum cum stigmatate.

c. Stamina cum pistillo.  
f. F. Semen.